DE

DOLORIBUS AD PARTUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDO

SCRIPSIT ET A. D. VII. CAL. AUGUST. MDCCCXXXVI.

PUBLICE DEFENDET

IOSEPHUS IACK

RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

SALOM. HERTZ, Med. et Chir. Dr.
WILH. SCHMITZ, Med. et Chir. Dr.
FRID. BAUSCH, Med. et Chir. Dr.

BONNAE,

TYPIS FRANCISCI BAADENI.

Quod os matricis eo usque aperiatur, ut possit foetibus facilem praebere exitum, nemo ignorat; sed quo pacto id accidat, mirari possumus, intelligere non possumus.

GALENUS.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS

M. ERNEST. ADOLPH. NAUMANN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, H. UNIVERSIT. PROF. PUBL. ORD. PLURIUM SOCIET. MEDICINAE ET SCIENTIAE NATURALIS EXCOLENDAE SODALI ET MEMBRO HONORARIO ETC. ETC.

NEC NON

HERMANNO FRIDERICO KILIAN

MED. ET CHIR. DOCTORI, PROF. PUBL. ORD. MODERATORI CLINICI OBSTETRICII BONNENSIS, SOC. LITT. PLUR. SOC. ETC. ETC.

PRAECEPTORIBUS PLURIMUM REVERENDIS

HASCE

STUDII MEDICINAE PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

OBTULIT

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

Ad phaenomena corporis humani muliebris admiratione scrutinioque quam dignissima imprimis profecto vim uteri insignem sub pariendo manifestam, a rerum quippe natura ad gravissimos destinatam maximeque necessarios fines, referendam esse censeo. Videmus enim organon a prima inde aetate tranquillum atque iners nec ullis fere, excepta sanguinis secretione quovis mense repetita, facultatis vitaeque sibi propriae vestigiis perspicuum, tantum evolvere valoris ac vigoris, ut robur aequans atque virtutem trium ferme virorum coniunctim, autores quidem uti dicunt, nonnisi prole expulsa, imo pariente etiamsi defuncta, cesset atque evanescat. Quae quidem vis, qua nulla videlicet in organismo sublimior perinde ac elatior sensu generalissimo *dolorum ad partum* nomine vulgo salutatur.

Cuncto in sexu sequiore finium et proprietatum suarum supremum culmen generatio est et concubitu in perfectissimam sui evolutionem iaciuntur principia, qui, ubi destinationem explevit naturalem, novum exinde et natura humana inditum in matre procreat animal. In illa nunc mutuo quasi utriusque in unum corpus confluxu degit crescitque organismus in organismo, donec exsultante in altero organica vi, a materno alter avulsus stipite, novus nunc et absolutus in

natura incola suum tenet locum, suumque experturus est fatum.

Solito more, posteaquam quadraginta septimanas delitescens in matris sinu ad maturitatem foetus sese extulit, qualem potest attingere intus in ea, supremam, vires propriae in hoc grave naturae opus utero inditae ad conandam, agendam perficiendamque parturitionem exsuscitantur. Ad eandem paene rationem et in ceteris animalium speciebus certum cuique natura gestandi atque maturandi suam prolem terminum statuit. Haec parturiendi functio ceteroquin in ordinatione animali fere est, quae ex norma naturalis salubritatis cum aliquo sensu doloris et molestiae incedit. *In dolore paries filios.*

Omnis autem scopus, quo intendit pariendi nisus, in excludenda prole cum additamentis uterique ad priscum vitae statum recessu protinus insecuturo est positus. Cuncta haec vel maximam saltem ad partem nobilissimamque certe foetans natura vario exemplo, diversis intervallis et incerta mora, aliquando per dies, saepissime intra aliquot horas, nonnunquam et in momentis, unitis ultro viribus, absque ulla ut plurimum artis intercessione solvit.

In scrutanda penitius atque investiganda hacce indita naturae et exserente sese stato plerumque tempore pariendi vi multi iam ante hac sudarunt, nec hodiedum ardua lis prorsus a iudicibus diremta est atque composita. Quam necessaria autem accurata dolorum naturæ indolisque cognitio ad declinationum ipsorum notitiam ex normae solummodo indagatione capessendam, quamque iucunda pariter atque ad altiorem artem nostram perfectionis gradum evehens sit, medicorum nemo ignorat.

Plerique praesertim Germaniae viri obstetricantes nihil nisi uteri contractiones omnino esse nisus arbitrantur. Sic quidem autor praestans alioquin ingenio et de multis artis obstetriciae provinciis optime meritus in libro egregio (*Lehrbuch der Geburtshülfe für Hebammen. Heidelberg* 1833 *II. Aufl.* §. 226.) ita asserit: »*Wehen sind von Schmerzgefühl begleitete Zusammenziehungen der Gebärmutter, bestimmt zur Austreibung der Leibesfrucht;* et porro: *die Zusammenziehungen sind von der Art, dass die Gebärmutter sich am stärksten in ihrem Grunde zusammenzieht und im Körper stärker als am untern Abschnitte. Auf diese Weise wird der Muttermund geöffnet und das, was in der Höhle der Gebärmutter enthalten ist, gegen ihn hin und ausgetrieben.*« Quae quidem expositio ex parte tantum vera et nisi falsi quoque quidquam inesset, magis manca, quam vitiosa foret appellanda.

Huicce autem opinioni virorum etiamsi clarissimorum, dolores ad partum et uteri contractiones unum esse idemque, gravissima obluctantur argumenta. Ommisso namque, ea ratione partum nunquam posse peragi, adversatur quoque:

1. Structura et fabrica orificii uterini, quum disquisitio accuratior edoceat, in illo sicut ad ostium utriusque tubae Fallopii uterinum, nonnisi vel maximam certe ad partem fibras occurrere orbiculares, verum longitudinales a fundo uteri ad segmentum solummodo inferius procedere [1]).

2. Observatio in partu quovis regulari instituenda,

---

1) Reservatur in clinico nostro obstetricio uterus, in quo haec constructio quam clarissime perspici licet, qui quoque delineatus in Dr. *H. F. Kilian's geburtshülflicher Atlas Taf. XVII.*

marginem ambitumque oris sub quoque dolore genuino attenuatum, flaccidum neque ullo modo compactum et rigidum, uti alias esse oporteret, digiti tactu percipi, itaque cuncta prae se ferre signa in ceteris partibus relaxatis conspicua. Adde insuper

3. Cognitionem atque curationem illius dolorum spasticorum speciei, qui ostium uteri prae primis invadunt. Quodsi enim dolores cum huiusce oris constrictione coniuncti appareant, conditio nisuum exoritur morbosa et ipsa remedia topica his in rebus erroneis optimo cum successu adhibita: vapores ad genitale, insessus, clysmata et iniectiones, opium denique, hyoscyamus, praecipue vero extr. Belladonnae a Chaussier commendatum et alia, quid agunt, nisi rigorem orificii uterini alienum mitigare et contractionem deviam atque perversam in sedem reducere pristinam.

Negamus igitur sententiam supra allatam dolores-que ad Eutociam spectantes cum contractione superioris quidem uteri partis, inferioris autem relaxatione et expansione semper esse coniunctos statuimus [1]).

Quae quum uteri actiones ob pressionem atque attritum partium huic labori inservientium aeque ac totius corporis concitationem molesti cuiusdam sensus plerumque immunes non sint, *dolores* iure meritoque appellantur. Iam vero quum non protinus, postquam genitus est et formatus ex matrice ambigatur foetus, sed longius potius temporis spatium inter ilea matris

1) Sicui forsan haec mea argumentatio circa rem tam difficilem manca videatur neque omnibus numeris absoluta, commentationem praeceptoris mei ill. annalibus Hamburgensibus insertam commendo, quippe qui noto ingenii sui acumine et doctrinae ubertate tantum huic materiei adsperserit lucis, ut, me quidem iudice, ne vel minima remanserit haesitatio.

detineatur, usque dum ad quendam perductus fuerit perfectionis gradum, quaeritur et erit exponendum, quale sit principium qualisque fomes parturitionis nisus *certo* utplurimum graviditatis *termino* (i. e. praeterlapsis XL septimanis) *certamque* secundum *normam* omnibus nervis exsurgentis.

Et quidem circa hanc quoque rem arduam nimis atque prolixam multa varias inter theorematum medicinae iactationes et reiectiones emersere opinionum commenta ac multae hodiedum eaeque speciosissimae virorum larga observationis copia et assidua de arte nostra meditatione insignium e. g. *Reil*, *Carus*, *Jörg*, *Ritgen*, argumentationes peractae prostant, quin ulli prioris recentiorisve aevi, me quidem iudicante, contigerit, probabili omnique ambiguitate penitus vacua expositione hancce quaestionem enucleare. Verum enim vero equidem haudquaquam id mihi arrogo, ut in abscondita rerum penetrandi studiosus, meam qualemcunque sententiam talibus praecuntibus viris adiiciam, nec tamen reticebo, prorsus alium, quam quo illi antecesserint, insistendum esse tramitem, si cunctas difficultates e medio tollere nobis in animum induxerimus. Etenim graviditatis spatium neutiquam ad legem media vitae humanae aetate implicitam referendum esse videtur, utpote illud quum (ex regula saltem vulgari) quaque in gravida omnis variationis immune sit, definitio autem, quod inter opposita vivendi tempora interest, medii comparandis duntaxat vitae spatiis permagni hominum numeri eliciatur ac pro copiae huncce in censum relatorum diversitate propius remotiusve ad certi aliquam et veri speciem accedat. Pari modo graviditatis terminum cum maturitatis sexualis diuturnitate conferre haud licet, propterea quod functionum sexualium per-

severan'a non solum in sexu sequiore eiusdem populi summopere variat atque vacillat sed et differentias certas stabilesque e climate oriundas exhibet. Sic quidem in regionibus meridiem versus sitis menses perquam mature provenire, verum eo ocius solito abundantes subsidere; temporato sub coelo multum illos commorari sed longe diutius perstare observamus. Apud gentes denique polos versus habitantes mature menstruis perfunguntur, quae vero parca semper ac breve tempus persistunt. Hisce quamquam discriminibus interpositis nullam usquam gestationis terminum subire mutationem videmus. Neque tandem praegnationis spatium (quasdam si rationes pathologicas excipias) typo menstruali obnoxium videtur, quippe quum, mensibus etiamsi tertia, quarta, quintave hebdomade redeuntibus, conceptioneque brevi ante vel post eorum fluxum aut denique, quod inter utrumque intercedit, interstitio oborta, nunquam a norma discedat.

Ex comparatione foetus maturi cum maturo indeque decidente fructu ad taedium usque iam trita legitimum graviditatis tempus nihil dilucitationis adiumentique capessere accuratius consideranti facile elucebit. Quovis enim in hominum genere, regionum coelive facie utcunque variante, elapsis XL demum septimanis foetus ex utero determinatur, fructuum autem maturitas a rebus fortuitis adventitiisque nimis dependet; imo ova gallinacea incubatione artificiali solito citius possunt evolvi; gyrinos, tempestate plus minusve faventе, promtius vel segnius ovulis excedunt et alia, quae exstant exempla. Ast vero in hominibus nullius fere est momenti, an gravidae energia vitalis plus minusve polleat, an sanguini materno materiei vitalis maior mi-

norve inhaereat ubertas; stat legitimi gestationis temporis spatium absque ulla a lege firma deviatione.

Si quis in statuenda circa hanc rem sententia ad sinceram genuinamque experientiam expressa ac rationibus munita antagonismum, qui matrem inter et foetum exstat, privum familiaremque potius indagandum, quam alterutrum solummodo alterna forsan perlustratione respiciendum esse existimaverit, me quidem non dissentientem habebit, praecipue si hac in expositione non omittat, in animalibus quam maxime evolutis foecundationem non esse indirectam, sed directam magis i. e. non solummodo ovula germinave per se sed cunctum corpus foemineum semine virili impraegnari. Sperma enim proliferum quum contagii instar organici in matris sanguinem agat, indole foecundante induatur necesse est, quae per totam utpote graviditatem perstans lactationem insequentem magna ex parte efficiat (cf. Die Probleme der Physiologie, oder der Gegensatz von Nervenmark und Blut von Dr. *M. E. A. Naumann.* Bonn.[1]) 1836. p. 181. 185. 187.) Gestationis decursum ab antiquioribus inde temporibus obstetricii in decem men-

---

1) Admodum laetor, locum me nunc invenisse, praeceptori meo clarissimo, admiranda ingenii sagacitate et immensa doctrinae copia nemini ignoto pro allocutione benevola non solum his in pagellis componendis sed et pro saluberrimis consiliis remotiore iam studiorum meorum tempore mihi large suppeditatis meritam debitamque, ut animus me iubet magnopere devinctus beneficiorumque vigens memoria, palam referre gratiam. Metuens quamvis, ne commentationis, qualis nunc peracta prostat, mendosae et exspectatione forte inferioris fautor dici improbans recuset, veniamque simul implorans, non potui, inclytissimum ipsius nomen non pronuntiare. —

ses lunares seiungere solent, mutationes quippe et embryonis et matris congruas hunc ad terminum referendo, quo vero in statuendo menstruorum typi respectus semper reconditus subest. Quam quidem rei absolvendae rationem neutiquam suppetere nec veritatis limitibus circumscriptam esse, promte in oculos incurrit (cf. *Valentin* in Encyclop. Wörterb. der med. Wissenschaft. B. XII. Berl. 1835. Art. Foetus, p. 359 et 373.) Maioris longe ponderis ac momenti in foetus humani evolutione cyclus quadraginta dierum est iudicandus, quum tantisdem systematis nervosi efformationis progressibus respondendo parem graduum innervationis foetus inquilinae pedetentim (ex centris inde nervorum) altiorem nimirum virtutem vigoremque nanciscentis numerum exhibeat. Hoc, quod modo tetegimus, embryonis evolutionem non nisi septem implere periodos XL dierum, iam in eo sumus, ut ex indice subsequente comprobare studeamus.

Periodus I. ad finem usque hebdomadis 6tae: Caput, truncus, extremitatumque rudimenta distingui queunt; oculi punctulis rotundis nigrisque cognoscendi (*I. Müller* in *Meckel's*, Archiv. 1830. pag. 412—121). Cellulae cerebrales ex norma evolutae. (*Tiedemann* Anat. und Bildungsgesch. des Gehirns. Nürnb. 1816. p. 9.).

Per. II. ad medium usque hebdomadem 12am. Columnae cerebri medullaeque spinalis maiores, cavitates licet adhucdum amplas, liquore refertas complectentes, satis conspicuae. Organon auditus ad gradum iam altiorem evolutionis pervenit. Stratorum musculorum dorsi infimorum efformatio promte procedit (*E. H. Weber* in *Meckel's* Archiv. 1827. p. 232). Corpora Wolffiana penitus disparent, hepar vero maximam, quam

hisce sub rebus potest attingere, amplitudinem adeptum est.

Per. III. ad finem usque hebdomadis 17ae: Gyri cerebri clarius emergunt, pulmones inaugescunt, hepar decrescit. Sexus utriusque discrimen manifestum. Prima motuum voluntariorum vestigia.

Per. IV. ad finem fere hebdomadis 23ae. Separatio substantiae cerebri cinereae ac medullaris perspicua. Dispositio substantiae nervosae omnino planior; primae septi laminae medullares (*Burdach* Physiologie II. p. 432). Foetus utero remotus iam per temporis pauxillum vivere valet.

Per. V. ultra mediam hebdomadem 29am: Conformatio omnium partium cerebri singularum perfecta. Cunctus habitus propius ad recens natos maturos accedit.

Per. VI. ultra hebdomadem 34am· Configuratio cerebelli perfecta; disiunctio eius hemisphaeriorum in lobulos separatos, ramos ramulosque. Foetus vita potest sustentari.

Per. VII. ad exitum usque hebdomadis 40mae: In cerebro ac medulla spinali antehac nonnisi molis granulosae speciem prae se ferentibus et obscura dumtaxat ipsius et gelatinae intermediae ope producta filamenta exhibentibus, brevi ante vel post partum prima fila varicosa conspiciuntur (*Valentin* Handb. d. Entwickelungsgesch. des Menschen. Berl. 1835. p. 183).

Iam vero quaestio oboritur, curnam graviditatis decursus nonnnisi septem periodis XL dierum contineatur?

Cunctis in organismi humani evolutionibus gravioris quidem momenti typus septenarius insignis habendus esse videtur. Imo in febribus regulari decursu ad-

strictis, in febre intermittente ipsisque in febribus exanthematicis (1½, 2, 2½, 3 Septen.) id observamus. Quanti pro evolutione corporis et revolutione minus quidem, quam pro ortu et occasu diatheseos morbosae ponderis sit cyclus septenarius, nemo erit, qui nesciat.

Sub graviditate novus efformatur homo, qui pedetentim accrescens pari passu ab imperio innervationis maternae, sanguinis scilicet ope, in ipsum agentis manifeste recedit, propterea quod, decursu cuiuscunque periodi XL dierum peracto, propria sui ipsius nervorum centra in evolutione paulatim progredientia fons atque origo innervationis privae existunt. Hinc sponte elucet, deformitates longe plerasque ex periodis vitae embryonicae remotissimis proficisci, quarum quippe in perversa iniquaque ratione propriae (foetalis) et a matre exeuntis (uterinae) innervationis fomes positus sit. Praeterea plurimae intemperies systematis nervosi ac molestiae circa gravidas conspicuae in periodo tertia, quartave XL dierum vel decrescunt vel prorsus contiscunt; unde quoque colligere licet, systema embryonis nervosum hoc ipso tempore ad altiorem maturitatis organicae gradum esse evectum. Inde etiam evenit, ut foetus a matre magis disiunctus, non eadem vi ac facultate, qua prius, in illam agat, quocirca reactio, quam dicunt, centralis systematis nervosi materni haud amplius solummodo uterum versus dirigi ac converti queat. Huc denique accedit, quod embryonis sanguis innervatione organismi infantilis inquilina iam multo maiorem in modum, pro systematis nervosi maturitatis gradu, perfunditur. Hinc ultro sequitur, antagonismum, qui inter utriusque sanguinem intercesserit, paulatim immutari. Endosmosi organica iam sanguis maternus foetalis elementis imbuitur, quo quidem non sine aliqua veri si-

militudine conversio atque alteratio illius foecundatione nimirum oborta sensim sensimque exaequatur atque contagii virilis infantilisque lactis secretione insequente penitus exstinguendorum aequilibrium efficitur.

Cyclo XL dierum septimo decurrente, *exitus* periodi evolutionis systematis nervosi infantilis quam perfectissimae ac decursus cycli septenarii *prima vice* quoad tempus conveniunt, seu a. v. septimus XL dierum cyclus vitae foetalis ea insigni indutus est nota, quod magna evolutionis foetalis periodus cum cyclo septenario terminetur, cyclo utpote septenario in gravidatis maternae evolutione accurate congruente; sicut ex subsequente serie elucere speramus:

Periodus	I.	dies	40	($5^5/_7$ hebdomad.)
«	II.	«	80	($11^3/_7$ «
«	III.	«	120	($17^1/_7$ «
«	IV.	«	160	($22^6/_7$ «
«	V.	«	200	($28^4/_7$ «
«	VI.	«	240	($34^2/_7$ «
«	VII.	«	280	($39^7/_7$=40 «

In organismo igitur materno pariter ac foetali eodem tempore reagendi facultas pari (pro rato) vigore exsurrexit, qua ratione utriusque vita semet ipsam vicissim repellat necesse est. Innervatione adhucdum obvia ac perquam insuper adaucta uteri iam contractiones enascuntur, quae, motus quippe oscillatorii peculiaris generis non solum impulsu nervorum centrico sed et infantis ipsius influxu provocantur (cf. *Naumann*, Probleme der Physiologie p. 117.). Variationes normalis parturiendi termini extremae inter 38am et 42am septimanam seu 266 et 294 dies suspensae haud minus insigni cycli septenarii efficaciae exquisite respondent.

Hisce iam relatis adiiciendum restat, abortum ob conditionem pathologicam omnes quidem fugere calculos, partum vero immaturum prae ceteris quartae XL dierum periodi fini indulgere (qua finita [22⅞ hebd.] uterque cyclus septenarius sibi proxime accedit) multoque saepius hoc ipso tempore quam quinta in periodo occurrere. Imo plerisque in casibus cyclus septenarius satis luculenter exsplendescit.

Physiologia dolorum ad partum.

Suetum quodsi partus normalis incessum atque decursum a prima dolorum invasione contemplemur, initio debiliores, per brevius solummodo tempus perstantes atque longiori interiecto intervallo reduces videbimus nisus, paulatim vero vi, diurnitate perinde ac frequentia increscentes, dum summam assecuti sunt energiam, quam quidem, si obtinent, foetum excludant necesse est. Ceteroquin ne dolorum vigorem et efficacitatem reliquo semper respondere corpori credas, propterea quod non ita raro in parientibus optima valetudine plane destitutis, immo in aegrotantibus sat fortes, ex adverso in robustis debiles et perversos conspicere licet. Ita miseram et debilissimam saepe mulierculam mira cum facilitate parere, contra alias procerrimas eadem ceterum in rebus mechanica ratione non nisi tarde et molestissime cernis.

Quam ob rem Boër: „Nemo etiam“, ait, „dorum partus exemplar sibi ad arbitrium fingat, quo in

omni labore nixus aestimet. Tum enim culpandi, ubique novandi et factitandi alias nunquam finis est."

Quum ergo neque in omnibus parituris, neque in singula qualibet partus periodo idem conspiciantur dolores, necessarium aeque ac consultum existimo, signa indicare characteristica, quibus dolores veros, genuinos, efficaces et ad naturae integerrimam normam expeditos liceat cognoscere et a spuriis sic dictis distinguere. Sunt vero haecce:

1) Quoad directionem, eam ingrediuntur viam, ut a regione lumbali et sacrali radiantes oblique per uterum ad ossa usque pubis atque crura deorsum procedant [1]).

2) Quisque dolor verus tria exhibet stadia satis sibi aliena: a) Stadium incrementi; b) Stadium acmes; c) Stadium decrementi, quorum primum et ultimum aequali solent esse diuturnitate; quae rite elapsa tempus plane vacuum seu intercalare subsequitur longius modo, modo brevius pro re nata atque parturitionis periodi diversitate. Genuinus ergo dolor ex leviori initio sensim sensimque augetur ad vigorem usque, decrescendo rursus eadem proportione, qua increverat, sic ut non solum remittat sed vera etiam notetur eius absentia et intermissio.

3) Dolores genuini propriam cuiuslibet nitentis animo ac peculiarem imponunt indolem, ita ut morigerae et ad omnia pro infante pericula subeunda immo ad vitam ipsam summo discrimini committendam

---

1) Huncce prementem dolorificum et extrudentem uteri motum a fundo oriri sensimque ad ostium eius transire, quam pulcherrime observavit in utero prolapso *Wimmer* (*Oestreich. medic. Iahrbücher Bd. VI. Heft III.* 1822.)

promptae evadant ac paratae. Qua de re Boër pulcherrime monet: „Praeterea post omnem verum etiamsi longum et acerbiorem nixum cummaxime, ubi profecit, in pariente quaedam aequabilitas animi et laeta quasi patientia superest.“ Et alio loco: „Potentissimus ille nisus puerperae incredibile robur addit animumque in mirabilem a nemine viro sustinendam patientiam durat [1]).

4) Nisus quisque verus doloris sensum gravis quidem, sinceri atque stringentis affert genitrici, quin tamen ad clamores et eiulatum disponat.

5) Succedunt mutationes oris uteri externi, segmenti inferioris atque fundi iusto perinde ac concinno

---

1) Ut universim animi praesertim muliebris vicissim cum functionibus vitalique genitalium conditione intimus exstat ac mutuus consensus, praeter graviditatem et puerperium id cummaxime sub pariendo manifestum fit atque perspicuum. Etenim observatio comprobat, quin tamen plausibili aliquo ratiocinio queat explicari, animi temperiem ac dolorum indolem aequali semper contineri ratione, propemodo, ut genuinus nisus atque efficax quisque, etiamsi vehementissimus ac perseverans in omnibus, ne ulla quidem excepta, parientibus dulcedinis, serenitatis et laetae simul tranquillitatis provocet sensum. Haec vero miranda in utrisque conspiratio et reciprocus inter se influxus, simulac partu tandem expeditio opus absolvit natura quam difficilimum, vix unquam amplius clare in conspectum venit. Neque minus dolorum deviatione nexus ille arctissimus, quo alter alterius ab impulsibus regatur, palam fit, ipsorum quum hyperdynamia motus animi concitatos, et affectus fortes, igneos et temerarios quandoque pariter atque animi abiectionem et concussum nisus progignant debiles ac perversi. (cf. *Dr. W. H. Niemeyer Zeitschrift für Geburtshülfe und practische Medizin. Halle* 1828. *Bd. I. Stk. I.*)

ordine constrictae dolorumque perpetuitati robori et efficacitati consentaneae.

6) Peculiarem uteri superioris partis duritiem renisumque provocant, quippe quo accidit, ut nisu urgente tensus, rigidus sentiatur atque compactus, praeprimis vero fundus acuminate procedat.

7) Nulla ratione vi, medicamentis aliove modo reprimi possunt ac retineri, priusquam ad propositum pervenerint terminum adeoque ultra pariturae vitam persistunt.

8) Citra congruam cuiusvis efficaciam non nimis properanter redeunt, deinceps singuli atque omnes vehementiores non sunt, quam vincendum et removendum obstaculum necessario ponit. [1])

Cunctus pariendi labor, sicut singulus quilibet partus dolor, aestuans nimirum initio et deinceps aequabiliter decrescens, (si per metaphoram licet sermo,) lineam percurrit ac describit parabolicam, cuius in extremis principium cum augmento ac cum declinatione finem positum mente fingas, in medio denique fastigium. In omni enim gravida nisuum, quos ad partum convocat natura et in sano statu et in abnormi finita summa est

---

1) Doloribus ad partum spuriis nihil plane commune cum genuinis est. Neque enim cum utero, neque cum pariendi labore ullo modo cohaerent, verum ex affectionibus potius aliorum organorum abdomiualium ortum ducentes fixi sunt plerumque, ut tamen incremento ac remissione speciem interdum teneant periodi sed non tam regulari redeunt interspatio et omnibus universim supra adnumeratis stigmatis plane carent. Ceteroquin fieri potest, ut utrique eodem tempore conveniant, praesertim si uterus gravidus organi cuiusdam prope iacentis afflictione per sympathiam ad partum conandum irritetur.

maximumque virtutis et vehementiae suae punctum alicubi inter illorum exordium et finem obtinet. Atqui ad virium ultimam intensitatem pedetentim pergitur, quin dolorum in culmine finis sit, sed tum retrogredi incipiunt ac se remittere duntaxat.

Ad commodiorem totius partus decursus conspectum multae iam divisiones a diversis obstetricantibus pro rationum diversitate prolatae sunt. Mihi quidem haud ineptum videtur, respectu solummodo accessus et recessus, modi effectusque demum dolorum habito, toti partus regularis functioni aeque ac cuivis pariendi nisui, tria adscribere stadia.

I. Stadium principii.

1. *Periodus clandestina seu prodromorum (le travail insensible a Mdme Lachapelle perbelle nominata).*

Plurimae licet parturae, graviditate ad edendam prolem utero paulatim provecto, partus laborem approximantem animi quadam divinatione possint praesagire, tamen alia quoque praesto sunt signa initium parturitionis indicantia; in his leviora praecipue symptomata nervosa, sensus quandoque frigoris toto corpore aequabiliter fusi cum calore variantis, inquietudo, atque anxietas, somnus turbatus, oppressio pectoris temporaria, motus infantis validiores, insolens in ventre pondus, vicissitudo coloris faciei et sensus tensionis ingratus passimque redux, partus instantis monitor, cum crebra alvi urinaeque mittendae cupidine. Turgor vitalis genitalium externorum et calor in regione pubis adauctus, secessus muci solito maioris copiae, vaginae humiditas, sequacitas atque glabritas. Segmentum inferius exploratione digitali tensum et os uteri externum solito acuminatius magisque postice conversum percipi-

tur. Interdum solummodo per aliquot horas haec parientis conditio persistit, immo plures dies et quod excurrit, tali rerum statu praeterlabi possunt, donec in secundam periodum labor transeat [1]).

2) *Periodus dolorum praesagientium.*

Iam res serio expetit nisusque pariendi inchoat uterus, qui neminem neque genitricem neque medicum obstetricium possint fugere. Dolores vero molesti magis quam dolorifici et nonnisi constrictione quadam sentiuntur a regione lumbali versus pubem procedente ac mora incerta recurrente. Saepenumero et diversis corporis locis alio atque altero sensu carpitur, sic quidem, ut modo hic, modo illic obtingant contractiones mox evanidae, quapropter hanc dolorum speciem optimo iure *Rupfer* vernaculo sermone denominamus. Mirifica profecto naturae providentia destinati nil agunt, nisi ut portionem vaginalem, quam dicunt, paulatim evanescentem, os matricis in primiparis hucusque clausum distentum, in multiparis vero ampliatum atque segmentum inferius attenuatum reddant, quo facto sensim contiscunt. Pars insuper infantis praeiacens multo firmius pelvi insidens, quam antea exploratur. Vespere utplurimum observantur, aut versus noctem incessum

1) Quoniam spem insecuturi partus plus semel fallunt, dolorum aequivocorum nomen illis scriptores tribuere. Sunt scilicet prima naturae conamina, quibus uterus in suum laborem tendit et frustraneo quasi negotio suscepto nisui suo in contractionem ad breve resignat. Praeter delusam irritamque spem et molestias nihil noxii inferunt, quin potius illud habeant commodum, ut attenuato sic cum ipso orificio omni segmento inferiore partus tandem eo promptius expeditiusque succedat.

et loquelam haud raro interrumpunt. Perquam primiparae ab illis vexantur, quum tres quatuorve horas solitis in casibus persistere soleant.

3. *Periodus dolorum praeparantium.*

Iam vero ubi ex ordine pergit labor, dolores magis magisque frequentia, mora ac vehementia increscunt. Vergunt autem a regione lumbali ad crura usque et genua certis intervallis constricti et parientem puncto quodam firmo sese inniti cogunt. Saepius ex alterutro latere cubat ultroque valere dolores sinit. Vaginae introitus et spatium dilatatur, secretio muci interdum striis rubris obtecti (*il marque*) augescit atque orificii uteri expansio pro dolorum efficacia progreditur. Amnion, quod hac in dolorum statione turgescere inchoat, ad ingressum cuiusque doloris continuo intenditur, usque dum in finem disrupta aquas infantis emittat.

4. *Periodus dolorum ad partum proprie sic dictorum.*

Interstitio post velamenta rupta longiore breviorevc elapso orcque satis diffuso recursu iam iterum frequentiores, effectu validiores longioresque constantia dolores emergunt, qui ad plantas usque pedum corpus permeant. Genitrix attracto loro seu alia machinatione vel porrecto adstantis brachio se fulcire cupit, elevato nonnihil capite et pectore alterutri ac plurimum ex instinctu sinistro incumbens lateri, adductis ad abdomen genubus omnem recrudescentem nixum patitur et fortiter, ut dolor ipse cogit, elaborat, quam etiam ob rem carnis maximam partem, verum praecipue imi ventris et diaphragmatis musculos in subsidia et conspirationem trahit. Pars prolis praevia nunc fundum pelvis petiit atque tumor infantilis in partu sic dictus bene sentitur.

II. Stadium status.

Periodus dolorum conquassantium.

Nunc ad gravissimos sese accingit natura conatus, novas resumendo copias; virium omnium ad genitale concursu magna inquies exoritur et agitatio, tremor artuum, vultus fulminans, sudor totius corporis copiosus. Si attento iam videas parturientem oculo, vividis hisce doloribus anxiatam, perspicias oportet, nullum esse in plerisque musculum otiosum. Oculorum musculi atque aurium contrahuntur et tunc haec organa tam acuto gaudent sensu, ut ne vel submissa voce, susurrare valeas, quin colloquii fiat particeps, nec moveri, lynceis oculis omnes motus observet et sequatur. Dolorum vehementia ac pervicacia, quae sub ipso partus decursu ordine concinno progredientis increscebat semperque adaugebatur, iam summum adepta est gradum, sic ut hi dolores tempore propemodum intercedente destituti sint, quum vel minimis se invicem excipiant intervallis. Atque ita nisus continua intensione caput infantis aliave praecedens pars per oram pelvis atque externos genitalium margines haud absque labore nec levi impendio e sinu materno in lucem subinde protruditur.

III. Stadium declinationis.

1. *Periodus dolorum decrescentium.*

Iam vero ad vires revocandas recentes per aliquot temporis momenta partus incessus subsistit, dum novus dolorum insultus indole atque virtute periodo quartae similis sponte iterumque ad laborem exciat, qui tandem ceterum infantis omne corpus utplurimum parti praeviae non succedens protenus cum sanguinis quadam

copia et alius liquidi matris haud sine sudoribus suapte exprimit.

2. *Periodus dolorum ad secundas.*

Post actionum tantam seriem amplis nunc gressibus ad finem partus procedit et virium reliquias, decrescente velut ex organica energia nisu, ad expulsionem placentae ac velamentorum infantis natura impendere solet. Genitricem iam suavis subit cogitationis illecebra, matrem sese esse factam et cordi materno maternus nunc primum in prolem recens editam amor cunctis nervis exsurgit. Haud ullum namque dulcius et pulchrius praegnationis molestiarum operisque peracti dolorum praemium et compensationem percipit.

3. *Periodus dolorum mundantium.*

Secundinis igitur remotis ad cactera repurgationis officia adque instruendam novam in matre vitam proceditur. Quapropter uterus enixius globi instar se contrahens, donec nihil intervenit, continenter ferme et sensim ad praescriptos fines organicae coarctationis revertitur et particulas, siquae remanserint, involucrorum sanguinisve coagulati utero adhaerentes paulatim et singulis ictibus facillime sustinendis exterminat.

Periodus exaequans.

Quibus denique peractis totus parturitionis cyclus labore insensili primae periodo proxime affini penitus absolvitur. Contractiones uteri perleves passim recurrentes in abdomine aliquamdiu sentiuntur, donec omnia pristinum nacta sunt aequilibrium.

Pathologia dolorum ad partum.

Raro quidem talia, ut supra exhibui, aevum nostrum partus naturalis archetypa edit, neque cunctis nitentibus tanta mollitie ac fortuna cedit labor, quum nostra quippe atque singulariter mulierum vitae anomala sit ratio. Aliter enim inquit Boër: »quam ex simplicitate naturae comedimus, bibimus et excernimus etiam.« Quid mirabile, partus quoque deflectere, nostra imprimis ad errores propera semper industria. Neque tamen etiamnum obsoleti penitus sunt partus via modo adumbrata incedentes, anomales licet longe excurrant. Vera nixuum et idiopathica alienitas ex eorum praesertim nimia frequentia cum abnormi intensitate et vehementia vel inertia ac debilitate, vel brevitate continentiave proditur. Praeterea vel per se et a primordio parturitionis vitiosa haecce dolorum conditio apparet vel variis affectionibus cum singulis tum fatali conventu nisus ex natura propitii et laudabiles depravantur, ut labor initio licet incolumis non solum se protrahat sed exstimulatis nimirum doloribus et illato damno maxime aggravetur. Atque earum difficultatum occasio vel ab universo corpore, ab illius quippe materia viribusque vel quodam solummodo organo sive a mechanicis causis, a movenda mole nimirum vel demum a partibus prae reliquis, quae recte ad partum faciunt et erronea valde inter utramque ratione ac proportione repetenda est; saepissime vero non tam ex erroribus naturae, quam parientis ab intemperantia aut superveniente opitulantium sinisteritate nisus pessumdantur omnisque functio.

Triplex autem exstat facultatis ulteri expultricis intemperies:

1) Virium uteri vitalium exagitatio (Hyperdynamia uteri, *Wehensturm*).
2) Virium languor aut suppressio (Adynamia uteri, *Wehensehwäche*).
3) Virium ratio turbata (Paradynamia uteri, *Wehenkrampf*).

I. Hyperdynamia dolorum.

Dolores ad partum hyperdynamici directione a normalibus haud decedentes vel brevibus interiectis se invicem excipiunt intervallis, ita ut omnis labor paucis duntaxat doloribus, immo ratione inter matris naturale ac foetum suffragante, sub unico uno interdum nisu summo cum periculo matri nec non infanti inde redundante absolvatur, vel etiam non adeo raptim recurrentes per longum temporis spatium persistunt. Interdum fere nunquam cessant, uterus admodum durus et vehementer contractus manui sese offert continuo saepe tensus, dolore inprimis perseverante. Exploratio externa ipsa dolores non excitat, verum infantis, quos dicunt, motus quominus animadvertantur, contractionum impedit vehementia. Hisce doloribus validissimis et citra iustum aequumque efficacibus non raro accedit, ut affinia quoque organa velut vesica et intestinum valde affligantur. Symptomatis porro dolorum praecipitantium diagnosticis sanguinatio sese subnectit uterina aut excretio aquae sanguine commixtae e praematura placentae solutione partiali totalive exorta, nisi ex rupto quodam vase matris sive infantis originem trahat, vel *externa*, e sanguinis profluvio modo continuo, modo intercepto vehementiori aut leviori absque difficultate

cognoscenda, vel *interna*, ubi sanguis, parte infantis praevia obstruente vaginam, intus retinetur, quae quidem quum e successione signorum haemorrhagiis internis omnino peculiarium: e faciei pallore et collapsu, calore corporis inprimis extremorum diminuto, frigido in facie sudore, pulsuum debilitate, frequentia ac non raro intermissione, tremore artuum, tendinum subsultu, convulsionibus, singultu, vertigine, susurru aurium, caligine oculorum, visu duplicato, ardoris in ventre sensu, capitis cummaxime intolerabili dolore, syncope et quae alia ac gravia admodum superveniunt symptomata; tum ex ingenti uteri expansione ob sanguinis collectionem et dolorum virtutis ac frequentiae decremento licet concludi.

Tali vis uteri vitalis conditione indoleque contractionum hypersthenica propter nexum, qui reliquum inter corpus uterumque ne praegnatum quidem intercedit arctissimum, tota non raro constitutio parturae adspicienti permutata apparet. Cubant autem genitrices facie rubra, oculis splendidis, cute admodum calente, sicca, sudoreve vaporoso obtecta, respiratione laboriosa parva et praerupta, pulsu radiali magno, duro, frequenti vel etiam supresso et tardo, siti ardente. Huc accedit iactatio perpetua et inquietudo spe levaminis nonnihil ex situs mutatione sibi ferendi adducta; urinae alvique depositio haud rara involuntaria, magnus interdum eiulatus ob dolorum nimiam acerbitatem, parva de propitio partus eventu spes, seu plane desperatio, vehemens sæpius clamor stridorque dentium, iracundia et furor vel in semet ipsas vel in alios lecto adstantes, sic quidem, ut sub quovis dolore ac levissima contrectatione vix se continere possint viriliter obiurgare et maledicere. Quam celerrime ut a doloribus liberen-

tur, fortiores inducturae nisus, omni, quo pollent virium impendio, partum labore inconsulto et violenta urgent concitatione, quibus sub nixibus validissimis iusto maior sanguinis copia ad pulmones cerebrumque congesta gravem spiritus ducendi provocat difficultatem et saevientem interdum cephalalgiam. Aut, quod et deterius, subigere temerario conatu et mitigare student dolores, indoque vitioses admodum reddunt. Namque illorum vim frangere intrinsecam illosve diminuere perinde ac opprimere penitus naturae solum datum est. Hancce dolorum ad partum speciem laborem in morbis acutis, in febribus praesertim cum viribus exagitatis obvium prae se ferre scriptores asserunt.

Est vero, ubi et obtingit, ut dolores sine modo et violenter incedentes parturientium valetudinem vel paululum solummodo turbent vel intactam omnino relinquant. Etenim sensum vix ingratum imo in abdomine inchoante partu percipere se affirmant, quem aliunde profectum neque laborem praesagire instantem opinantes ne flocci quidem pendent. Nihil autem secius sub urinae alvique, quam ad deponendam subito impelluntur, excernendae conamine, rupto confestim post evanidum et retractum uteri ostium amnio aquisque effusis infans protruditur. Aliis etiam in casibus, ut *Hüter* refert, ne sensus ille iniucundus, neque lotium foecesque evacuandi molimen quidem adest, verum consuetis occupatae negotiis neque ullo quodam signo parturitionis imminentis praegresso admonitae infans e matris naturali prolabitur; id, quod in multiparis praesertim irritabilitate utpote diminuta vel prorsus extincta obvenire contendit.

Hyperdynamia uteri in cunctis aut una alterave partus periodo apparens singulas quasque iusto reddit

breviores et adeo eas accelerat, ut vel duae interdum uno temporis momento coincidant et unico solum nisu peragantur, vel saepius prorsus distingui nequeant singulae. Ubi vero quaevis doloris perceptio gignenti penitus deficit, de observandis partus periodis omnino sermonem esse non posse, ultro intelligitur. Fit quoque, ut dolores una in periodo hyperdynamica induti natura, in sequenti aut non amplius abhorreant a norma, aut exhausta denique irritabilitate ex opposito ad extrema devolvantur. Ita quidem nonnunquam dolores ab initio exorbitantes ac supra ritus naturales intensi ad velamentorum usque ruptionem permanent, quae ubi peracta est, praecipue uteri ore nondum penitus dehiscente laudabilem nunc prosequuntur decursum.

Ex adverso quamvis citra modum primordio labor cunctetur osque iusto tardius distendatur atque explicetur, effluxis tamen aquis tantam vim virtutemque nanciscuntur interdum dolores, ut unus alterve foetui expediendo suppeditet. Rarius omnino amnio adeo integro infantem una cum secundis protrudi videmus. Saepenumero demum accidit, ut quo properantius dolor summa intentione in munus sese exseruerit, eo gravius posthac et segnior reliquus labor cedat. Sic multis in casibus septimam valde protractam invenimus periodum, quippe quod vel nimiis conaminibus praegressis vel metrorrhagia e solutione placentae partiali oriunda vis uteri expultrix ita sit labefactata, ut tandem aliquando secundas evolvendi impotens artis adiutorio indigeat.

II. Adynamia dolorum.

Haec dolorum aberratio frequentissima vel ex virium uteri decremento, prostratione aut suppressione

redundat vel nonnisi hyperdynamiae praeviae effectus et consequentia existit. Omnino raritate, inertia, tarditate atque exigua efficacia hisce propria, interdum immo solenni intermissione a caeteris nisuum vitiosorum speciebus absque ope possunt distingui. Nonnunquam largis etiamsi interstitiis satis regularem produnt decursum, quin labor diuturnus ex voto et ex spectatione procedat, aliis vero in casibus a statu sano deflectere non videntur, nisi quod per iusto longius temporis spatium perrennent, quippe cum singula quaeque contractio longam tantummodo post moram exsurgat. Explorationem quodsi externam instituas, magnam integumentorum abdominalium uterique laxitatem et citra solitum mollitiem animadvertis, eo quidem progressam, ut sub ipso dolore levia solum exstent tensionis vestigia.

Hinc quoque accidit, ut matrix ad omnem mutatum pariturae situm ex alterutro latere in oppositum recidens variam formam prae se ferre queat. Calor ventris diminutus, excretio alvi atque urinae propter nimiam intestini et vesicae debilitatem haud raro involuntaria. Vaginae quoque calorem exploratione interna iusto minorem, os uterinum magis minusve dehiscens, perquam relaxatum atque dolore ingruente, paululum dumtaxat ingrandescens sentimus. Pars infantis praeiacens, sub nisu utpote parum protrusa, ipso evanido in priorem recedit locum. Huc accedit, quod non raro sanguifluxus obtingat propter virium uteri languorem aut defectum, passiva sic nominata, qui, parte infantis praevia vaginam haud obturante, rapido interdum cursu et exigua tantum sub quoque dolore interpellatione erumpit. Doloribus hisce perversis neutiquam parumve affligitur genitrix, de sensu nisi quod ingrato a re-

gione imprimis sacrali trahente quandoque sub nisus incursu queratur. Animi praeterea conditio aequa, sui ipsius suorumque negligens, nullo flagrans desiderio, laborem protractum propriis actionibus iuvandi et ad finem perducendi, quin doloribus potius absque vi et impensa indulgeat. Totus parturientis habitus cunctaeque corporis functiones manifesta torporis et atoniae signa praebent: cutis utplurimum frigescens, laxa, sicca, sudore interdum frigido obtecta, facies pallescens, vel levi suffusa rubore, pulsus parvi, plerumque lenti praetermodum ac tardi sive accelerati, musculi praesertim abdominis relaxati, propemodo, ut aut obliquitas adsit, aut venter propendens. Est vero etiam, ubi res diverse obvenit. Nam si vires tantum plethora universa (si quidem exstat) vel uteri potius suppressae sint (atonia plethorica), facies apparet rubicunda, cutis calens, ipse vero uterus tactu tensus ac rigidus, ostium iusto crassius, tumidum nec non calidum sicut ipsa etiam vagina a digito immisso super ritum adtemperata sentitur. Res si sic sese habent, laborem parturiendi lentissimo incedere passu neminem fugit. Praecipue autem primas partus periodos multum consumere temporis videmus, quum segniter nonnisi et tarda virtute orificium uterinum aperiatur doloresque, ubi una alterave periodo efficacia coaluerint, levi hacce virium contentione debilis illa facultas expellens mox plane exhausta perire queat. Aliis in casibus primis partus periodis ab exoptata haud abhorrentibus indole, tantum posthac exoritur dolorum vigoris ubertatisque decrementum, ut foetui eliminando nequaquam sufficiant, idque creberrime quidem, si cum nixubus ab initio male fuerit mercatum. Saepe dolorum intemperiem in periodo ad secundas observamus ita quidem, ut vel antegres-

sis periodis nimia celeritate laborantibus citra modum retardetur, vel iusto citius decurrat hisce nimirum protractis vel lento denique parturitionis successui omnino respondeat. Hand raro hanc dolornm speciem insufficientem post partum contractionem exindeque methrorrhagiam pro vitae enixae discriminis magni subsequi videmus.

Caveat autem sibi quisque, ne dolores debiles [1]) uti saepissime, cônfundat atqne commisceat cum dolorum adynamia. Omnis enim, quae inter utrumque interest discrepantia, eo redit, ut illi indole physiologica neutiquam destituti cuncta prae se ferant signa characteristica, quae supra exposui: tria nimirum stadia, tempus rite intercalare, mutationes oris cervicisque terini pari passu cum dolorum virtute procedentes, cunctus quamvis labor solito cum vigore ac sueta vivacitate haud succedat; propterea quod negotio tam difficili iusto tempore implendo impares sunt uteri vires. In dolorum vero adynamia semper perversa uteri conditio intus reclusa latet, quod et ex eo manifeste illuscescit, quod stadium incrementi valde protractum, stadium acmes languescens, decrementi autem fere nullum observemus. Nisus uteri adynamia affecti tantum densitatis ac firmitatis gradum in illo provocare nequeunt, uti veros genuinosque decet; os uteri nonnisi passim expanditur, ut distensio haec nequaquam laboris diuturnitati adaequet et paritura multum inde afflictetur. Hactenus, quae prolata sunt, abunde demonstrant, multum inter se differre utramque dolorum speciem, nec

1) Dolorum imbecillitas aut ab initio partus adest, vel in tramite percurrendo exoritur, quum in praegressis periodis dolores efficaciores fuerint atque frequentiores.

tamen difficile esse, praecipuis discriminibus hic expositis eos dignoscere.

III. Paradynamia dolorum.

Hac sub significatione eam comprehendo uteri dispositionem, qua fundus videlicet et cervix, maxime quippe pariendi functione implicati, per anastrophen polaritatis, quae inter utrumque absque dubio intercedit, alter alterius sibi adsciverit in partu officium. Quibus perversis in matrice conaminibus, vulgo spasticis appellatis, praeter alias inde resultantes noxas prolem nunquam in lucem edi posse, sponte fit palam. In genuinis namque doloribus oris uterini extensio eodem procedit gradu, quo fundi contractio increscit; verum in spasticis longe alia et plane contraria fere semper agitur via, quum dolore ingruente os magis constringi, fundum vero extendi observemus. Spasmus autem ille vel cunctum occupat uteri parenchyma, (dolor spasticus sensu strictiori, *tetanus uteri*) vel partem solummodo superiorem, *stricturam*, quam dicunt, extremo fine colli efformando. Signa doloribus spasticis communia aeque quidem ac singularia atque pathognomonica ex facie indoleque nisuum ipsorum, partim ex habitu et constitutione parientis in genere exhaurire licet.

Differunt autem a veris partum cito tuto et satis iucunde promoventibus: quod deficiente stadio incrementi subito ac confestim summa, qua possunt, vehementia invehantur, non sine magno gignentis afflictu citra normam perstent et subinde evanescant, acerbiores protinus redituri, quum typum naturae in periodico dolorum recursu multum excedant et in iusto longius temporis spatium producti saevire non desinant nec ad reditum usque subsequentem penitus contiscant;

quod fundus non quidem tractanti manui extus solito magis obnitatur, sed inflatus potius et a similitudine vesicae aëre refertae vix alienus sese offerat, quod regio abdominis uterina adeo interdum doleat, ut neque sub nisu, neque ipsorum tempore vacuo ne vel minimam aliquanto rudiorem quidquam attactum ferre queat; quod mira semper genitalis deprehendatur ariditas calorque adauctus; quod orificium externum alioquin haud raro distortum et explorando dolens tantum absit, ut sub nisu partem praeversam neutiquam urgente patefiat, ut nonnunquam iamiam dilatatum ipsis vehementissimis doloribus rursus constringatur, vel certe mutationem perquam exiguam subeat. Nec hac de causa fieri secus potest, quam ut pars infantilis praeiacens non ultra descendat, verum potius recedat. Singularis dein irrequies omnibus hisce doloribus spasmodicae indolis propria, ita ut nulla parienti conveniat situs species, neque erecta incedere possit, quin potius incurvata fere semper sese teneat et ambulandi facultas magnopere sit impedita. Saepius fit, ut non possit, quin summis sub corporis iactationibus ad furorem usque altos prae vehementia afflictionis tollat clamores. Accedunt insuper plerumque aliae quoque infestationes ceterarum partium spasmodicae, uti convulsiones, spasmus pedis ac femoris [1]), colica atque interdum etiam animi

1) Obiter hic notasse sufficiat, hunc spasmum femoris non esse commiscendum cum alio intemperabili nec molliendo quidquam dolore ad lumbos quemque nisum interdum per totam functionem comitante, neque cum dolore illo haud minus obruente et gravi, qui aliquamdiu ac praesertim, ubi inter caput foetus et pelvim iniqua interest ratio, ingruente cummaxime quovis nisu increbrescens ab intimo ileo constanter per femur ac pedem furit.

deliquium, praecipue ubi, quod haud tam raro accidit, dolores ad alia organa desiliunt [1]). Pulsus, cutis urinaque eadem esse solent conditione et universa corporis ad spasmos praedispositio ad diagnosin confert.

Quae quidem dolorum intemperies, etsi in omnibus fere possit existere foeturae periodis, lubentissime tamen ab exordio functionis ad distensionem oris us-

---

1) De hisce doloribus desilientibus seu aberrantibus licet iam Deventer, Levret et in primis Powr sermonem fecerint tamen Stein iun. alacritati uberrimam circa hanc rem expositionem (*Siebold's Journal* 2 *Bd.*) debemus. Haec autem dolorum aberratio in eo consistit, ut vel primorum invasionis tempore, vel ipso sub partu pariendi nisus sive ab utero ad alia quoque sese diffundat atque diffluat organa, sive matrice penitus relicta per metastasin ad partes corporis alienas desiliat. Afflictiones hac ex perversitate oriundae pro diversitate aeque ac dignitate in ordinatione animali organi correpti diversae sunt; prae omnibus autem symptomata systematis nervosi observari possunt affecti vario genere atque discrimine obvia: vomitus spasticus, tussis sicca, sonora, haemoptoe spasmodica, dolores capitis ac dorsi gravativi, immo syncope et convulsiones musculorum voluntati obnoxiorum vel ubi in confiniis uteri sedem atque originem habent, vellicans in vesica ur. dolor vel aliae in locis urinalibus offensae, vel demum tenesmus etc. Quodsi eiusmodi dolores nimia in organis alienis sint perseverantia aut saepius eandemque partem ad morbum forsan praedispositam invadant, absque negotio noxias posse subsequi sequelas, nemo erit, quin intelligat. Diathesin ad hanc nisuum speciem constitutio praecipue prae se fert sensilis iam antehac mensibus nimirum fluentibus symptomatis mulctata hystericis, quae quidem sensilitas gestando adaucta sub partu vel levissima causa, animi praesertim pathemate tales progignere potest dolores. Ab aliis similibus quidem dignoscuntur *a*) incessu, *b*) retardato aut plane impedito labore *c*) causis ipsis.

que perfectam occurrit, qua penitus peracta rebusque alioquin haud erroneis facile evanescit nec spes deest, ceterum partum meliore nisuum reditu fore ex ordine. Alteram et parti quidem modo uteri insidentem constrictionem (*stundenglasförmige Striktur der Gebärmutter* a nostratibus appellatam) a spasmo corporis uteri solius atque unici scriptores hucusque derivarunt. Iam vero hancce originem stricturae prorsus admittere non licet, quum uteri quippe fabricae omnino non respondeat, verum in qualibet eiusmodi constrictione, quae *stundenglasförmig* vocatur, nonnisi os solummodo internum ad extensionem videlicet ambitumque uteri ipsius praecipue autem segmenti inferioris inter praegnationem impensum et debito spatio sursus evectum constringi affirmo.

Cognoscitur vero hoc spasmorum genus, quo infans vel hoc iam enato placenta retinetur: e dolore certum semper locum occupante et acerbo, deinde ex permutatione ne vel minima oris externi caeterum mollis atque laxi sub nisuum incessu exsurgente, ex parte denique infantis praevia vehementer nimirum tumefacta et ab orficii interni marginibus arctissime circumdata. Addenda insuper cetera quoque stigmata hisce doloribus peculiaria. Quodsi hoc circulo spastico prolis pars quaedam contineatur, haud ita raro vestigia duritiei et renixus eius post partum in ipsa licet animadverti.

VITA.

Natus sum in pago Brand prope Aquisgranum anno h. s. XII., parentibus I. Mathia Jack et Theresia Lammertz ac fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis a patre carissimo imbutus puer XIII. annorum Gymnasia, quae Aquisgrani ac Monasterii in Eiflia florent, alternatim per sex et quod excurrit, annos frequentavi ac maturitatis testimonio instructus almam hanc universitatem petii. Autumno a. XXXI. a Rectore t. t. magnifico Diesterweg numero civium academicorum adscriptus apud cl. F. Nasse gratiosi medicorum ordinis t. t. decanum spectatissimum nomen professus sum.

Scholis hisce interfui: cl. Albers de pathologia speciali morbisque syphiliticis; cl. Bergemann de Zoochemia; cl. E. Bischoff de pharmacologia, de formulis medicis arte concinnandis, de medicina forensi et epizootiis; cl. G. Bischoff de chemia experimentali; cl. van Calker de logice et psychologia; cl. Harless de materia medica, pathologia ac therapia generali, de cholera indica et de aëre, locis et aquis lib. Hippocratis ore latino; cl. Kilian de embryulcia, de instrumentis obstetriciis et morbis infantum; cl. Mayer de anatomia generali et speciali cl. I. Müller de encyclopaedia medicinae, physiologia ac pathologia generali; cl. a Münchow de physice experimentali; cl. Fr. Nasse de therapia generali et speciali, de anthropologia, de physiologia ac pathologia cerebri; cl. H. Nasse de fracturis et luxationibus, de anatomia pathologica; cl. Naumann de morbis contagiosis morbisque mulierum; cl. Nöggerath de mineralogia; cl. Treviranus de botanice; cl. Weber de anatomia spe-

ciali; cl. Wutzer de chirurgia, operationibus chirurgicis, fasciis rite applicandis, de ophthalmiatrice et anatomia chirurgica. In cadaveribus dissecandis duces mihi exstitere cl. Mayer et cl. Weber; cursum operationum chirurgicarum duce H. Nasse feci. In clinico chirurgico-ophthalmiatrico cl. Wutzer, in clinico medico cl. Fr. Nasse et in clinico obstetricio cl. Kilian, apud quem insuper exercitationes in phantomate institui, moderatores mihi fuerunt.

Omnibus hisce viris excellentissimis sincerrimam refero gratiam.

Per annum chirurgi militaris voluntarii in VII equitum cohorte functus sum duce Dr. Kallmann.

THESES.

I. *Omnis febris sanguinis dyscrasia.*
II. *Complicatio morbi non semper noxia.*
III. *Nullum remedium nisi roborans.*
IV. *Remedia ex regno animali saluberrima.*
V. *Febris traumaticae intermittentis causa non semper in abscessibus secundariis internis.*
VI. *Conspectationem gravidarum contendo.*
VII. *Obstetricem praestanti corpore esse et animo, bonum.*